

universo genere humano initi Genes. IX, 13. Saepe in coelo novae ab Astronomis observatae sunt stellae; at una novarum stellarum usus est Deus ad significandam remotissimis gentibus nativitatem Messiae, quod cum nova ea stella iam pridem coniuncta fuerat promissio de Messia in terris nascituro Numer. XXIV, 17. Matth. II, 2. 9. 10. Deinde vero longissime abest ab illa superstitione mens Pauli, ut eam testamentorum commutationem terrae coelique motui tribuat, ut potius eam a voluntate atque consilio divino, quod motus ille hominibus tantum manifestavit, repeatat; quare non de ea commotione dicit ποιεῖ Ἰων σαλευομένων μετάθεσιν, sed δηλοῖ manifestat tantum abrogationem eorum, quae commota sunt, ita ut omnis oratio Pauli huc redeat: quemadmodum olim in monte Sinai terrae motus manifestabat, iam foedus Dei cum hominibus pangit, quod dictum est Vetus Testamentum; ita motus non tantum terrae sed etiam coelorum, qui factus est in morte Christi, manifestavit, iam aliud foedus Dei, fanguine Christi sanctum, cum hominibus pangit, quod Novum Testamentum dicitur.

§. 13.

Inde manifestum esse iudico, quomodo terrae motus V. T. antiquaverit, quia, dum initia dedit Novo Testamento solemnissima, Veteri finem attulit, ubi enim novorum initia sunt, ibi veterum terminus est, ipso consentiente Paulo, ἐν τῷ λέγεν καινήν, πεπαλαιώκε τὴν πρώτην. Τὸ δὲ παλαιόμενον καὶ γηράτκον, ἐγγὺς ἀφανισμῆς Hebr. VIII, 13. Quamquam enim, uti VVITSIVS (1) erudite monet, haud sequitur, quia Vetera abrogantur, ideo subiecta sunt Nova; illud tamen relinquitur, quia Nova subiecta sunt, abrogata esse Vetera. Illa sane, in quorum locum

nova

(1) *de Oeconomia Foederum lib. I. c. IX. de Aniquatione Foederis operum* §. 18. p. 96.